



Universitätsbibliothek Paderborn

Instructio practica ...

Institutiones Theologiæ Mysticæ, Seu Facilem & practicum modum
Exercitia Spiritualia S.P. Ignatii Loyolæ per octiduum faciendi - item
triduanam recollectionem fructosè instituendi complectens, Et
Sacerdotibus Præcipuè, aut de Sacerdotali Statu suscipiendo
deliberantibus accomodata, Una cum ...

Lohner, Tobias

Dilingæ, 1680

Consideratio de regularum sive constitutionum Ecclesiasticarum
observatione

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48834](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48834)

Pro quinta Die.

CONSIDERATIO.

DE REGULARUM OBSERVATIONE.

Punctum I.

Examina te 1. An magnam de regulis tuis æstimationem conceperis?

Examina te 2. An sufficientem cognitionem earundem regularum comparare studueris, eas frequenter legendo, aut audiendo, accurratè meditando, firmitèrque memoriæ imprimendo?

Examina te 3. An facilem tibi in earum observatione præxim reddideris, scilicet prævidendo occasiones, in quibus illæ observari possint; in ipso actionum tuarum exercitio te per illas dirigendo, & tandem examinando, quomodo in hac vel illa occasione illas observaveris?

Examina te 4. An & quæ Regulæ in particulari hæctenus te frequentius fuerint neglectæ? & quæ talis transgressio- nis occasio, aut causa extiterit?

Punctum II.

Perpende causas, ob quas summam de regulis tuis æsti- mationem concipere debeas.

Prima est, Quia Regulæ tuæ sunt voluntas Dei bona, be- neplacens, & perfecta, quam S. Paulus ad Rom. 12. probari iussit.

Secunda est, Quia ipsæ sunt optimum instrumentum ad ædificium perfectionis (propter quod ædificandum venisti in Religionem) facile & sine errore extruendum. Ipsæ quoque sunt forma (der Modus) Christi vitam & virtutes perfectissimè exprimens, unde si cor tuum amoris igne li- quefactum in eas transfundas, Christum exactè repræsenta- bis, dicerèque poteris cum S. Paulo: Vivo jam non ego, vivit verò in me Christus.

Tertia est, Quia de illis jure dici potest, illud S. Pauli ad Gal. 6. *Quicumque hanc regulam secuti fuerint, pax super illas, & misericordia;* Et illud S. Davidis Ps. 118. *Pax multa diligentibus legem tuam, & non est illis scandalum.*

Instrum. VIII.

R r

Quar-

Quarta est, Quia illæ sunt fortissimum scutum, quo tu contra omnes hostes tuos defendere poteris, diciturque cum S. Davide ps. 4. *Vt scuto bona voluntatis tua* (in regulis declarata) *coronasti nos.* Et Ps. 118. *Super inimicos meos prudentem me fecisti mandato tuo.*

Quinta est, Quia illæ sunt via, per quam Deus tuum fructorem, ejusque sectatores ad cælum duxit, & te quoque eodem ducere paratus est. Hinc post obitum S. Benedicti duobus Monachis ejusdem Ordinis Anima ejus pulcherrimè ostensa est, & vir eidem insistens, addita hac voce: *Hæc via, quæ dilectus Domini Benedictus in cælum ascendit.* Nimirum *Beati immaculati in via, qui ambulavit in via Domini.* Ps. 118.

Punctum III.

Perpende, quid te hæctenus impederit, à perfecta regularum observatione.

An non 1. exigua de illis æstimatio? ergo auge illam prædictorum motivorum frequenti & accurata meditatione.

An non 2. horror difficultatis? atqui memento, idem tibi accidere, quod Monacho nolenti ab initio viles cibos gustare; unde vidit quondam S. Petrum, & Honoratum Abbatem, nescio, quid condimenti Fratrum cibis inspergens, quo dulcissimi redditi sunt. Sic ergo & tu gusta cibum voluntatis Divinæ desiderabilem super mel & favam, & te semel generosè viceris, resolverisque ad eum constantè deinceps sumendum, miram in eo suavitatem experieris cum S. Davide ps. 118. exclamabis: *Quàm dulcis fuit in ore meo eloquia tua, super mel ori meo!*

An non 3. respectus humanus? atqui noli timere eos, si multum agant, possunt occidere corpus, sed potius occidant eum, qui & animam & corpus perdere potest; cujus fructus pluris æstimandus est, quàm omnium hominum etiam potentissimum gratia. Dic ergo cum S. Paulo: *Si adhuc hominibus placere, Christi servus non essem.* Gal. 1.